

(27. De mari, an illud esse possit subiectum domini, quæstio est, quæ suos hinc inde habet Auctores. Confer. Grotium, Seldenum, Jonstonum, Burgum, Welvodum, Pontanum, Graswinckelium, Puffendorium, Huberum, Jacobum Gothofredum, Bœclerum, Van-Bynkerhoek, Christ. Thomasium, aliosque.

ARTICULUS III

Dominium quoad modos ipsum acquirendi.

(1. Dominium rerum tribus modis acquiri potest, scilicet Jure naturali, seu gentium; Jure Civili, atque Canonico: Jure particulari, privati alicujus contractus, seu conventionis. (2. Jure naturali, seu gentium acquiritur dominium rerum, quæ nullius sunt. (3. Jure Civili, atque Canonico acquiritur Dominium rerum, quæ quidem alicujus sunt, sed præfixo per leges, et Canones tempore possidentur. (4. Jure particulari privati alicujus contractus, seu conventionis acquiritur dominium rerum, quæ sunt alicujus tamquam domini, et possessoris, sed in alium transferuntur per donationem, venditionem, aut alium contractum. (5. Jure naturali, seu gentium acquiritur rerum dominium multipliciter, scilicet Occupatione, Alluvione, Specificatione, Accessione, Confusione, Commixtione, et fructuum Perceptione.

(6. Jure naturali, seu gentium acquiritur rerum dominium primo per Occupationem, ratione cujus res illæ, quæ nullius sunt, fiunt primi occupantis, textu expresso in § *Fera*, Institut. *de rerum divis.* ibi: « *Fera* igitur bestia, et volucres, et pisces, et omnia animalia, quæ mari, cælo, et terra nascuntur, simul atque ab aliquo capta fuerint, Jure gentium statim illius esse incipiunt; quod enim ante nullius est, id naturali ratione occupanti conceditur. » (7. Hinc licitum est quælibet animalia ferina, et silvestria, nondum ab aliquo comprehensa prosequi, et capere, ita ut statim fiant capientis, ubicumque capiantur. Idem est de illis, quæ ex Domini potestate elapsa in pristinam libertatem redierunt; lib. 2. Institut. *de rerum divis.* cit. § *Fera*. (8. Capientes autem animalia in leporariis, vivariis, stagnis, sylvis non amplis, et circumdatis, non acquirunt eorum Dominium, sed tenentur restituere, cum adhuc habeant proprium Dominium. Est communis. (9. Ita etiam animalia domestica seu naturaliter mansueta, sicut et ferina mansuefacta, quandiu redire solent, non sunt primi occupantis, etiamsi longe aberraverint, sed sunt Domino competenti restituenda; lib. 2. Institut. tit. 1. § *Pavonum* 15. et § *Gallinarum* 16.

(10. Quando duo, vel plures ad occupatio-

(1) Non modo communis non est Auctoris opinio superius tradita, sed omnino opposita sententiæ Justiniani § *Illud* 15 *de rer. divis.* « Alii vero putaverunt non aliter tuam esse, quam si eam cepis. Sed posteriori sententiæ nos confirmamus, quod multa accidere soleant ut eam non capias, » et ita sentiunt contra Trebutii sententiæ, Grot. de Jur. bell. et Pac. l. 2. c. 8. § 3. circ. fin. Ibi que

nem concurrunt, v. g. unus feram vulneravit, et alter eam cepit, tunc si fera fuit vulnerata lethaliter, et percussor eam insequens moraliter certo erat ipsam capturus, ipse vulnerans acquirat dominium et consequenter si ab aliquo capiatur, est restituendus; quia tali vulnere lethali jam censetur ipsam cepisse. Est communis. (11. Si vero fera, aut avis sit ita leviter vulnerata, ut adhuc fugere possit, tunc si alius eam fugientem capiat, est ipsius capientis, quia naturalem libertatem non amisit. Sic Doctores communiter. (12. Si autem dubium foret, an qui vulneravit ratione talis vulneris esset capturus, nec desiisset prosequi feram vulneratam, tunc de æquitate esset dividenda inter vulnerantem et capientem, tamquam duas concausas acquisitionis feræ, secundum proportionem concausalitatis; Laym. l. 3. de just. tract. 1. c. 5. num 12. Henn. tom 2. de just. et jure tract. 3. disp. 4. qu. 1. conclus. 1. resolut. 2. Sporer et alii passim.

(13. Eadem ratione si quis animal vagum insequatur, et illud in retia alterius incidat, tunc uterque habet jus illud capiendi; unus quia retibus suis deprehensum est, alius quia sua opera, et industria incidit unde de æquitate est inter ipsos dividendum secundum proportionem concausalitatis. (14. Si piscis reperitur ita inextricabiliter implexus in retibus alicujus piscatoris, ut nullatenus possit evadere, acquirat statim ejus dominium; unde si alter ex ejus retibus ipsum eripiat, tenetur ad restitutionem; secus autem est dicendum si piscis adhuc poterat se eripere ex illis retibus, quia tunc fiet prius apprehendentis, eo quod defectu sufficientis apprehensionis nondum piscator censebatur illius Dominus; de æquitate tamen est piscatori aliquid concedendum juxta proportionem industriæ, et probabilitatis prædæ capiendæ. Ita Doctores passim.

(15. Quando apes ex proprio alveario ita volant, ut illarum reversio, vel apprehensio desperetur, tunc licite possunt a quolibet apprehendi, etiamsi forent in fundo prioris domini, quia sicuti avis nidificans ad parietem domus alicujus non est sua, ita nec examen apum in fundo alterius existens censetur suum, cum jam evolando nativam libertatem recuperaverit. Est communis per jura mox citanda. (16. Si autem apes alterius alveare occupant, fiunt ipsius, maxime si ipsum apertum retineat etiam ad hunc finem; l. 3. § 3. ff. *de acquirendo rer. Domin.* et l. 3. § *Item feras*, *de acquirenda possessione*, et Institut. *de rerum divisione*. § *Apium quoque*.

(17. Res incertæ, quæ scilicet habent dominium, sed ignoratur quis ille sit, ut sunt

Samuel. Coccei. vers. *Atque ideo vulnerasse*, idque licet fera lethaliter vulnerata sit. Harppreit. ad § 15. n. 85 instit. de rer. divis. Perez. hoc tit. Cum enim res, quæ nullius est, dominium apprehensione tantum acquiratur, hinc feræ fugientis adhuc dominium acquisivisse nemo dici potest, qui spem tantum capiendi habet. Duaren. *de acquirend. rer. Domin.* c. 2. t. 2. p. 544, coll. 1. in fin. (EDIT. BARBIEL.)

res casu amissæ, atque ab altero inventæ, aut quæ in periculo naufragii projectæ fuerunt in mare, et postea ad littus evaserunt, non cadunt sub dominio primi inventoris, seu primi occupantis, sed qui eas invenerit, obligatur eas restituere veris Dominis si eos dignoscere possit, et tenetur ad dominos illos dignoscendos moralem diligentiam adhibere eoque majorem, quo res perditæ, et ab alio inventa majoris est momenti. Est communis, et ratio est clara; quia ille qui amisit ejusmodi res, seu pecunias, earum dominus esse non desinit, cum autem unaquæque res reddi debeat domino suo, stat clarum ipsum inventorem teneri illas reddere propriis dominis, textu expresso in c. *Si quis* 6. caus. 14. q. 5. ubi ex verbis S. Augustini sic dicitur: « Si quid invenisti, et non reddidisti, rapuisti; » et in c. *Multi* 8. ead. caus. et q. ubi ex verbis S. Hieronymi sic habetur: « Multi sine peccato putantesse, si alienum, quod invenerint, teneant, et dicunt: Deus mihi dedit, cui habeo reddere? discant ergo peccatum hoc esse simile rapinæ, si quis inventa non reddat. »

(18. Res, seu pecuniæ incertæ inventæ, si post diligentem inquisitionem non compareat earum Dominus, sunt ad pium usum, seu in pauperes applicandæ, nisi ipse inventor pauper sit, quia tunc posset sibi reservare in toto, vel in parte, considerata quantitate rei inventæ ac inopiæ suæ; Sic S. Thomas 2, 2, q. 66, art. 5. Scotus in 4, dist. 15, q. 2, *ad argumenta*; S. Antonin. Cajetan. Abbas, Paludanus, Silvester, Covarr. Navar. Valent. Medin. Turian. Lessius, Filiuc. tr. 32, n. 85. Medina tom. 3, tr. 2, disp. 764. Vasquez de restit. c. 5, § 4, n. 43, ubi dicit pro hac sententiâ stare omnes Auctores excepto uno Soto; Reiffenstuel. Theol. moral. tract. 7, de just. et Jur. dist. 3, q. 1, n. 8. Sporer tom. Tract. 4, n. 110, quam sententiâ Card. de Lugo tom. 1, disp. 9, sect. 12, num. 139, dicit esse veriore, Layman. lib. 3. tract. 1, c. 5, n. 24, vocat piam, et tutiorem, Castropalao putat in praxi sequendam; et sic tenent alii plurimi. Et ratio est, quia res seu pecuniæ inventæ sciuntur esse alicujus, nec eorum dominium amisit, qui eas perdidit: ergo si ipsimet domino restitui non possunt, restitui debent juxta ejus voluntatem præsumptam; atque in eo casu rationabiliter debet præsumi, quod voluntas Domini sit, ut pauperibus, atque aliis piis causis applicentur, quatenus quod ei corporaliter restitui non potest spiritualiter restituatur; et quod ipsi non potest prodesse temporaliter, prosit saltem æternaliter. (19. Nec obstat, dicit Card. de Lugo l. c. quod Dominus sit mortuus, et forte damnatus; nam in hoc casu debet respecti voluntas hæredum, ad quos talium rerum, seu pecuniarum Dominium est devolutum, qui præsumuntur velle offerri saltem pro se prout magis expediet. Nec etiam obstat, quod

(1) E. R. Auctores hic citati in rebus moralibus cum plerisque n. 19 citatis, non sunt comprobandi; nec sola nomina ejusdem sunt ponderis, et valoris

tales res, seu pecuniæ inventæ possint esse alicujus infidelis, seu hæretici, cui æternaliter nihil sint profuturæ; quia ut dicit Molina l. c. nulla est gens tam barbara, quæ non putet eleemosynas esse bona opera; et si re ipsa a Christianis dentur pauperibus, actus dantis, et oratio pauperis potest prodesse cuivis etiam infideli. (20. Tum quia a Summis Pontificibus sunt concessa privilegia variis Ordinibus, qui etiam sub excommunicatione possunt compellere detentores talium rerum, seu pecuniarum inventarum, ut eas sibi tradant pro redemptione captivorum, seu pro aliis piis usibus; ergo signum est deberi pauperibus, vel ad pias causas. De dictis privilegiis vid. Castrop. *de Just. part.* 19, et Haunoldum tom. 5, a. n. 31. Et de facto Catechismus Romanus par. 3, c. 8, n. 16, sic statuit. « Si rerum inventarum Dominus nulla ratione inveniri potest, illa sunt bona in usus pauperum conferenda. »

(21. Nihilominus si Dominus non reperitur post factam diligentem inquisitionem, Sotus, Ledesma, Sa, Sarmiento, Navarra, Mendo, Escobar, Diana p. 1. tr. 8, R. 12, dicunt inventorem posse retinere sibi res, seu pecunias inventas, quam sententiâ Platel. p. 3. n. 728, dicit non esse improbabilem, Amic. Tambur. Dicastill. l. 2. tom. 2. dist. 9. n. 491. Burghaber. cent. 1. caus. 69. Illi tom. 4. d. 2. num. 259. vocant probabiliorē, Lessius, Malder. Med. Aragon. Lopez, Salas, Henric. Rodriq. Lugo l. c. n. 139. Sporer l. c. n. 183. agnoscunt probabilē, Laym. loc. c. et Castropal. de justitia p. 19. num. 4. dicunt esse valde probabilem, Diana par. 2. tom. 3. R. 5. vocat in praxi tutam, Haun. tom. 5. n. 26. defendit, speculative probabiliorē, et tamquam in praxi securam (1).

(22. Si res inventa fuerit derelicta, fit inventoris, qui primo occupat; l. 1. ff. *pro derelicto*. Res autem habetur pro derelicta, quando Dominus ita se gerit circa illam rem, ac si eam amplius non curaret ut propriam, ejusque Dominium negligere censeatur, utpote qui vel tam procul recedit, vel verisimile sit eum nunquam reversurum, vel si revertatur, rem tamen non petiturum, maxime usu consumptibilem; aut si prope est, tamen cum possit recuperare, rem non inquit, nec repetit, et recuperare negligit. Est communis, et habetur § penult. Inst. *de rer. divis.* (23. Si res inventa sit de illis, quæ nunquam Dominum habuerunt, ut insula in mari nata, gemmæ et lapilli in maris littore, sit primo occupantis; quod enim ante nullius est, naturali jure occupanti conceditur; l. *Adeo* § *Insula*, ff. *de acquirendo rerum dominio*. (24. Merces et quævis alia bona reperia in littore maris aut fluminis post naufragium non sunt primo occupantis, aut fisci, sed domino restitui debent; leg. *Navigia*, Cod. *de furtis*. Est communis Doctorum, et ratio est, quia Dominus rei suæ dominium non

ac sint auctoritates Sanctorum, Catechismi Romani, atque rationes. Vide Cuniliati Trac. 9. de 7. Decal. Præcepto, cap. § 9. n. 2. (EDIT. BARBIEL.)

amittit, nisi ipse consentiat, sive eam pro derelicta habeat; in hoc autem casu, quod ratione tempestatis rem projiciat in mare ad evadendum naufragium, aut in naufragio ipsam amittat, Dominus non consentit, nec pro derelicta habet; quin potius libentissime retineret, vel recuperaret, quocumque modo posset, quamvis necessitate compulsus egeret, vel impossibilitate deterritus spem recuperandi per se abjiciat; § 48. *Instit. de rer. divis.* l. 21. § 1. ff. *de acquir. vel amittend. poss.* Tum quia talia bona in littore inventa retinere est contra jus naturale, ut alieni occupatio et magna in miseros crudelitas, ut inquit Cassiod. lib. 4. Var. Epist. 7. ibi: « Crudelitatis genus est ultra naufragium velle sævire, et illos ad dispendia cogere, quibus inopem vitam probantur immania elementa dedisse; » Unde excommunicantur in Bulla Cœnæ qui bona Christianorum naufragantium in littore reperta surripiunt animo retinendi. (25. Hinc piscantes bona naufraga in mari tenentur restituere Domino; sicuti debent Domino restitui ea, quæ eripiuntur ex incendio, vastatione, inundatione etc, et etiam oves, aut alia animalia ex lupi faucibus erepta, sive adhuc vivant, sive non, per cif. Jura sub n. 24. Nec refert, quod eas tenet Dominus nunquam recuperaturus fuisset, quippe certo perituras, nisi talis piscator, seu ereptor illas magna industria, labore, periculo vitæ ab interitu liberasset, ut habetur ex l. *Pomponius* 44. ff. *de acquir. rer. domin.* ubi dicitur, quod quælibet res nostra, quantumcumque periclitetur, manet nostra quoad non est consumpta; et eas tenet communis Doctorum, qui tamen dicunt posse talem Piscatorem seu Ereptorem compensationem laboris, ac periculi sui debite æstimatam Jure exigere, quia Domini negotium utilissime gesserunt (1).

(26. Thesaurus proprie dictus (qui leg. *Numquam* 3. ff. *de acquir. rer. dom.* definitur quod sit *vetus quædam depositio pecuniæ, cujus non extat memoria, ut jam dominum non habeat*) Jure naturali, et gentium transit in dominium inventoris occupantis; est communis; quæ enim nullius sunt, Jure naturæ et gentium fiunt primo occupantis; thesaurus autem in nullius dominio existit, adeoque etc. De jure autem civili in discernendo ad quem spectat thesaurus, opus est distinctione. (27. Si enim thesaurus inventus sit in proprio fundo, totus est inventoris; *Instit. de rerum divisione*, § *Thesaurus*; ubi sic expresse dicitur: « Thesaurus, quos quis in loco suo invenerit, D. Adrianus, naturalem æquitatem secutus, ei concessit, qui eos invenerit. »

(28. Si autem thesaurus inventus sit in fundo alieno, vel ventus est non data ad hoc opera,

(1) Quid vero si dominus rerum naufragii causa projectarum eas non vindicet? Cui hoc casu dici debent acquisitæ? Plerique hoc jure utuntur, ut si dominus rei naufragio in litus ejectæ infra annum et diem ad vindicandum non advenerit, duæ partes acquirantur fisco, tertia inventori. Cocceius de jur. marit. lib. 1. c. 7. n. 10. Alii vero putant res omnes

sed fortuito, v. gr. arando, seu fodiendo, et hujusmodi, tunc dimidius erit Domini fundi, et dimidius inventoris; l. 1. *Cod. de thesauris* lib. 10. et *Instit. de rer. divis.* § *Thesaurus*; (29. Vel inventus data ad hoc opera, et ex industria quæsitus sine consensu Domini, et tunc erit domini; l. unica, *Cod. de thesauris*, ibi: « In alienis vero terrulis nemo audeat invitis, id est nec volentibus, vel ignorantibus dominis, opes abditas suo nomine perscrutari; quod si nobis super hoc aliquis crediderit esse supplicandum, aut præter hujus legis tenorem in alieno loco thesaurum scrutatus invenerit, totum hoc locorum domino reddere compellatur. »

(30. Si dominus consensit, ut quis in fundo suo thesaurum quæreret, standum est pacto, si quod initum est; si nullum initum sit pactum, fieri debet divisio ad æqualitatem, nisi partem suam cessisset dominus; arg. l. 1. *Cod. de thesauris* lib. 10. et *Instit. de rer. divis.* § *Thesaurus*. Si autem inventor certo sciverit ibi latere thesaurum, et simulaverit se nihil scire, fingendo aliam necessitatem terræ effodiendæ, tunc de tali thesauro disponendum est, ac si nullus fuisset datus a Domino consensus, ac ideo totus debebitur Domino, cum se in scio, immo decepto, fuerit quæsitus; et inventus; l. unica, *C. de thesauris*. (31. Si fundus habet duos Dominos, unum scilicet directum, et alterum utilem, tunc thesaurus, inventus fortuito et sine data opera, erit dimidius inventoris, et alter dimidius thesaurus erit inter illos ex æquo dividendus, tamquam inter dominos fundi; cit. l. 1. *Cod. de thesauris* lib. 10. et *Instit. de rer. divis.* § *Thesaurus*. (32. Si vero thesaurus fuerit inventus data ad hoc opera, ut ex industria quæsitus sine consensu alicujus Domini, tunc erit totus dividendus ex æquo inter ipsos dominos fundi, et nihil debebitur inventori, cit. leg. unica *C. de thesauris*. (33. Si autem inventor fuerit unus ex ipsis Dominis fundi, v. g. fuerit Dominus utilis (ut Feudatarius, vel Emphyteuta), tunc ipse Dominus utilis inventor debebit reddere Domino directo solummodo quartam partem, et sibi reservare alteram quartam partem quatenus est ejus fundi Dominus, et sibi retinere integram medietatem, quatenus est inventor, arg. cit. § *Thesaurus*, *Instit. de rer. divis.* et cit. l. unica, *Cod. de thesauris*. Et ratio est, quia idem est inventor; et sic debetur illi media pars, et est etiam Dominus ex parte, et sic ei debetur altera quarta pars. (34. Tanto jure non gaudet Depositarius, et hypothecarius, qui cum non sint Domini nec utiles, nec directi loci sibi depositi, vel oppignorati, si ex industria quærant, et inveniant thesaurum in ipso, erit totus Domini fundi;

acquiri fisco, si Dominus infra annum non compareat, et dominium probet, nilque aliud inventoribus præstandum præter mercedem operis, si eas extraxerunt. Perez in *Cod. tit. de Naufragiis* n. 28. et 29. Corvin. *ibid.* lib. 11. 6. § *Quod humanitati*, et seq. pag. 89. per tot. Voet. in *Pandect.* lib. 47. tit. 9. n. 3. (EDIT. BARBIELL.)

arg. cit. l. unica, *Cod. de thesauris*. (35. Si vero casu fortuito thesaurum inveniant in illo loco sibi deposito, vel oppignorato, tunc dimidius thesaurus erit Domini fundi, et dimidius inventoris, seu inventorum, cit. leg. 1. *Cod. de thesauris* lib. 10. et *Instit. de rer. divis.* § *Thesaurus*.

(36. Thesaurus inventus in loco publico spectante ad Principem, vel Communitatem speciali jure proprietatis, ut potest esse in aliqua sylva, domo, agro, horto et hujusmodi, si sit inventus casu fortuito, media pars debet esse inventoris, et altera media pars Principis, seu Communitatis. *Instit. de rerum divis.* l. 2. § *Thesaurus* 39. ubi sic dicitur: « Si quis in fiscali loco, vel publico, vel Civitatis thesaurum invenerit, dimidium ipsius esse debeat, et dimidium fisci, vel Civitatis. » Si sit inventus ex industria seu quærendo, totus pertinet ad dominum fundi; cit. l. unica *Cod. de thesauris*; Non enim Princeps, aut Civitas est pejoris conditionis, quam alter particularis, cui sic totus thesaurus adjudicatur; ex d. lege. (37. Thesaurus autem inventus in loco omnino publico, et communi, ad nullius speciale dominium proprietatis spectante, quamvis pertineat ad dominium jurisdictionis alicujus Principis, vel Communitatis, uti sunt viæ publicæ, plateæ, flumina et hujusmodi, totus videtur esse inventoris, et non Principis, vel Communitatis. Ita Covarr. *Regula Peccatorum* pag. 3. § 2. numer. 3. citans pro se Baldum, Cynum, et alios, Sporer. loco cit. n. 174. Lessius l. 2. cap. 5. dub. 16. num. 63. La Croix l. 3. par. 2. num. 106. et alii, arg. § *Thesaurus* 39. *Instit. de rerum divis.* Et ratio est, quia quoad antea nullius erat, naturali jure occupanti conceditur; Princeps autem, vel Communitas non est Dom. talium locorum jure domini specialis, et proprietatis, de quo loquuntur leges, sed dominio jurisdictionis, et auctoritatis disponendi. Per ly enim verbum in *loco publico* citat. leg. § *Thesaurus* adduct. supra n. 37. non intelligitur via publica, forum, platea, flumen, vel similis locus, qui proprie nullius est, cum similis locus sit omnium usibus deputatus: sed intelligitur de loco, quem Princeps specialis domini jure possidet, ut sylva, domus, ager, hortus et hujusmodi, alioquin dimidium non deberet dari Civitati, ut ibi dicitur, sed potius Principi, ut recte notat Lessius loco citato.

(38. Thesaurus ex industria quæsitus, et inventus in loco sacro vel religioso, in scio, aut invito Prælato, fit ipsius Prælati, vel Ecclesiæ. Ex consensu autem, vel fortuito repertus dividendus est pro medietate inter inventorem, et Prælatum, seu Ecclesiam; arg. l. unica *Cod. de thesauris*, et *Instit. de rer. divis.* § *Thesaurus*. Et ratio est, quia Ecclesia censetur dominus talis loci, et ideo pariformiter discurrendum est de locis sacris, ac religiosis, quæ specialis domini jure possidentur, ac de aliis locis profanis sub speciali dominio alicujus existentibus. (39. Thesaurus arte magica inventus in omni casu post sententiam Judicis adjudicatur

Fisco, vel in toto, si totus fuisset inventoris, uti quando inventus fuit in fundo proprio; vel solum in illa parte, quæ inventori contingere debebat, uti quando inventus fuit fortuito, vel de consensu domini in fundo alieno, quia dominus loci ob maleficium alterius non debet suo jure privari, per citatam l. unic. *Cod. de thesauris*.

(40. Sciens in agro alieno esse thesaurum, potest illum emere eodem pretio, ac si ibidem thesaurus non lateret, ac postea empto agro totum thesaurum tamquam verus Dominus in conscientia retinere; Ita colligitur ex l. *A Tutore*, ff. *de rei vindic.* et tenet communis cum S. Thoma 2. 2. quæst. 66. art. 5. Soto lib. 6. de Just. part. 3. Molina disp. 56. Lessius leg. 2. cap. 5. dub. 15. n. 62. Layman. loco cit. cap. 5. num. 23. Sporer. l. cit. num. 175. Et ratio est, quia eruit postea thesaurum ex proprio fundo, nec tenebatur priori domino indicare ipsum, non enim ei fecit injuriam, cum emerit, ut supponitur, agrum illum secundum communem æstimationem, ad quam æstimationem nihil facit thesaurus latens, cujus nulla habetur suspicio.

(41. Emens rem mobilem, in qua thesaurus latebat, etiam priori venditori ignotus, v. gr. capsam ferro, vel plumbo plenam, in qua invenit aurum, vel aliud quidpiam pretiosum, cujus dominus omnino ignoratur, et proinde pro derelicto habetur; ipsa inventioe acquirit sibi thesaurum totum, nec de eo quidquam tenetur venditori restituere, quia invenit in re sua. Venditor enim non fuit dominus illius thesauri, cum fuerit sibi omnino ignotus, adeoque nullum habet jus ad aliquid repetendum ab emptore; quod autem thesaurus in terra lateat, vel in re mobili, nihil refert, cum utrobique lateat, et in eo statu in nullius dominio existat, et consequenter dum latebat, non fuit venditoris, sed fit emptoris, quando ab emptore invenitur. Unde si non ab emptore, sed ab alio inveniretur, in illo ferro, aut plumbo empto, si fortuito inveniretur, media pars deberetur inventori, et media emptori; si ex industria inveniretur, deberetur totus emptori, per dicta, et jura adducta sub n. 28 et 29. ut optime resolvit Lugo tom. 1. disp. 6. sect. 11. n. 129. (42. Addit Lessius l. c. n. 62. militem, qui hosti saccos lupulo refertos abstulit, in quibus laminæ erant aureæ, et argenteæ conditæ, si postea saccos vendidit, non habere jus ad laminas, neque ad pretium pro illis exigendum, quia cum latuerint, dum ipse dominus fuit saccorum, non acquisivit earum dominium.

(43. Leges circa thesaurorum applicationem factæ non obligant in conscientia ante Judicis sententiam, quando sunt penales, qualis est illa de invento thesauro per artem magicam, et illa contra quærentes thesaurum in fundo alieno sine consensu Domini, ut colligitur ex leg. unica, *Cod. de thesauris*, ubi de tali inventore dicitur, « totum hoc locorum domino reddere compellatur, » ubi verbum *compellatur* sa-

tis indicat Legem esse pœnalem, et non esse latæ, sed ferendæ sententiæ; adeoque compulsionem Judicis esse expectandam. (44. Aliæ autem leges, quæ pœnales non sunt, obligant in conscientia, etiam ante omnem sententiam Judicis, quia cum dispositio juris per tales Leges sit definitiva proprietatis, rerum transfert dominium justas ob causas in fiscum, vel dominum fundi, saltem quoad partem ante sententiam Judicis, sunt in conscientia observandæ tales Leges non pœnales; et idem dicendum est de similibus Legibus municipalibus, si alicubi sunt; Lugo loc. cit. num. 131. Lessius loc. cit. num. 59. Sporer loc. cit. num. 172. et alii passim. (45. Advertendum tamen est, quod ea, quæ hactenus dicta sunt de thesauris, procedunt secundum Jus commune. Si autem in aliqua Provincia sint aliquæ Leges particulares, vel consuetudines hac de re justæ, sunt servandæ, ut recte Lessius l. c. n. 66. (1)

(46. Jure naturali, seu gentium acquiritur rerum dominium nedum ex hucusque dictis per occupationem, sed etiam per *Alluvionem*, § *Præterea*, Inst. de rer. div. Alluvio autem est duplex; alia dicitur *latens*, et alia *patens*. (47. Alluvio latens, et proprie dicta alluvio est, qua pars fundi unius paulatim, et insensibiliter, et ita latenter, ut vix notari queat, fundo alterius adjungitur. Alluvio patens est, qua pars aliqua notabilis fundi unius vi fluminis in alterius fundum patenter transfertur. Sic in re comm. (48. Augmentum fundi factum per alluvionem latentem est ejus, cui adjungitur. Augmentum autem factum per alluvionem patentem remanet illius cujus prius erat, textu expresso in § *Propterea quod per alluvionem*, Inst. de rer. divis.

(49. Insula per alluvionem de novo nata, si sit nata in alto mari, quod sub nullius dominio sit, est primo occupantis. Si autem sit nata in fluminis medio, fit eorum, qui utrinque e regione prædia habent, et sic debet dividi inter eos. Si vero insula fuerit propinquior uni ripæ, quam adversæ, erit tota Dom. illius ripæ propinquioris. Si fluvius ita dividatur, ut ex uno agro, qui erat in ripa, insulam faciat, talis insula erit illius, cujus erat ager. Si vero fluvius, alveo derelicto, divertat per aliam partem, alveus antiquus accrescit iis, qui agros utrinque habent, et inter ipsos est dividendus. Alveus vero novus ita sit publicus, vel ejus cujus est fluvius, ut si post longum tempus iterum redeat fluvius ad primum suum alveum, non redeat alveus ad Dominos, quorum antea erat, sed accrescit iis, qui

(1) Multa, quæ hic desiderantur de thesauris, videnda sunt apud Guadagn. Inst. jur. civil. lib. 2. tit. 4. a § 96. præcipue in notis. (EDIT. BARB.)

(2) Requiritur ulterius in specificatore bona fides, secus enim concurrente in ipso mala fide, nova species domino materiæ acquiritur, et specificator amittit operam, eamque donasse censetur domino; Donnell. Comment. jur. civil. lib. 4. cap. 12. late Guadag. Inst. jur. civ. lib. 2. tit. 1. § 81. num. 15. Quid vero si nova species partim ex propria, partim

utrinque agros habent, textu expresso in § 20. et seq. Inst. de rer. divis. Lugo l. c. n. 155. Sporer loco cit. n. 222. (50. Incrementum alluvionis quo ad substantiam fit domini proprietarii fundi, cui accedit. Quoad usumfructum autem, si sit incrementum *latens*, accrescit usufructuario; si vero sit incrementum *patens*, accrescit domino proprietario. Sic expresse habetur l. *Item*, ff. de usufructu. Exciipiuntur tamen feudatarii, et Emphyteutæ, quibus accrescit utrumque incrementum alluvionis, scilicet, et incrementum *latens*, et incrementum *patens*, ut communius tenent Doctores cum Card. de Lugo loc. cit. n. 156. et duobus sequentibus, et Molina disputat. 56. Sporer l. c. n. 223.

(51. Jure gentium acquiritur rerum dominium etiam per *Specificationem* § 25. Inst. de rerum divis. Per specificationem autem hic intelligitur nova formatio, seu introductio novæ formæ in materiam, ita ut dicatur produci quasi nova species, quando ex lana fit pannus, ex tabula fit navis, ex uvis fit vinum, ex argento fit vas, et hujusmodi. Ad specificationem autem pro acquirendo dominio, non sufficit aliquid quomodocumque accidentaliter immutari, sed requiritur talis immutatio, ut in commercio humano habeatur pro nova re, novo nomine substantivo appellata, uti cum ex lana fit pannus, lana enim per talem specificationem, seu introductionem novæ formæ, scilicet panni, desinit vocari lana, et vocatur pannus. Si enim lana mutaretur solum accidentaliter, ut si de alba fieret nigra, non esset specificatio, nec mutaretur ejus dominium, sed remaneret adhuc prioris sui domini; l. 26. § ult. ff. de acquirend. rer. domin. (2)

(52. Hinc si quis ex aliena materia faciat speciem, quæ semel facta non possit reduci ad priorem materiam, acquirit dominium illius speciei; quia enim v. gr. vinum ex uvis factum non potest redire ad uvas, si quis expresserit vinum ex uvis alienis, acquirit vini dominium, sed domino uværum competit actio personalis contra illum. E contra si quis ex aliena materia faciat speciem, quæ possit iterum reduci ad priorem materiam, non acquirit dominium illius speciei, sed dominium manet apud illum, cujus fuit materia; quia enim v. gr. vas ex argento factum potest iterum resolvi in argentum, si quis fecerit vas ex argento alieno, dominium manet penes dominum argenti, et ei competit actio etiam realis ad vas illud, § 25. Inst. de rer. divis. lib. 7. § 7. ff. de acquirend. rerum domin. (3)

ex aliena materia facta sit? Hoc pariter casu communiter eandem adhibent distinctionem Interpretes, nempe quod si ad priorem materiam reduci nequeat, specificatoris sit, contra vero, si commode ad pristinum statum reverti possit. Harprect. Vinn. Zoes. alique in § 25. Inst. de rer. divis. (EDIT. BARBIEL.)

(3) Duplicem accessionis speciem supra distinximus. Hactenus de accessione naturali, nunc sequitur accessio industrialis, quæ fit vel *adjunctione*, seu *con-*

(53. Jure gentium acquiritur rerum dominium etiam per *Accessionem*. Accessio autem seu *adjunctio* dicitur, quando res unius accedit, vel adjungitur rebus alterius per humanum laborem, vel industriam, ut oratione, inædificatione, implantatione, satione, scriptione, pictura. Unde quando res unius accedit, seu conjungitur rei alterius, totum ex utraque re compositum, jure *Accessionis* spectat ad dominum rei præsuppositæ, et principalis; l. *Cum aurum* 19. § *Perveniamus* 13. de auro, et argento, et ratio est, quia ex Regula 42. Juris in 6. *Accessorium naturam sequi congruit principalis*. (54. Hinc si annulo accedat seu conjungatur gemma, si vesti intextatur purpura; gemma et purpura spectabunt ad dominum illius, cujus erat annulus, et vestis; quamvis illa adjecta essent pretiosiora, textu expresso in § *Si tamen*, Inst. de rerum divis. (55. Remanet tamen ipsi obligatio reddendi alteri æstimationem rei suæ, sive bona sive mala fide usurpatæ, ut docent communiter Doctores. Immo volunt, quod si illud quod accessit, seu adjectum est, possit absque detrimento, seu læsione rei principalis separari, debeat separari, et suo Domino in specie petenti reddendum sit.

(56. Sic jure *Accessionis* si quis in suo fundo ex aliena re ædificaverit, is fit dominus ædificii, quia omne, quod solo inædificatur, solo cedit tamquam principali; diruto tamen ædificio, materiæ dominus eam vindicare poterit, nisi antea ipsi pro materia satisfactum sit, textu expresso in Inst. de rerum div. § 29. ibi: « Cum in suo fundo aliquis ex aliena materia ædificaverit, ipse intelligitur dominus ædificii, quia omne, quod solo inædificatur, solo cedit; nec tamen is, qui materiæ dominus fuerat, desinit dominus ejus esse, sed tantisper, neque vindicare eam potest, neque ad exhibendum de ea re agere, propter legem 12. tabularum, qua cavetur, ne quis tignum alienum ædibus suis junctum eximere cogatur, sed duplum pro eo præstet per actionem quæ vocatur, de tigno juncto; appellatione autem tigni, omnis materia significatur, ex qua ædificia fiunt; quod ideo provisum est, ne ædificia rescindi necesse sit; quod si aliqua ex causa dirutum sit ædificium, poterit materiæ dominus, si non fuerit jam duplum consecutus, tunc eam vindicare, » et concordat l. *Adeo*, ff. de acquirend. rer. dom. (57. E contra vero si quis in alieno solo ex sua materia ædificaverit, ædificium erit illius, cujus est solum. Et si talis ædificans scivit solum esse alienum, nihil pro opera, et materia sua repetere poterit in foro externo, etiamsi ædificium diruatur, quia aut donasse, aut temere ædificasse censetur, cit. Inst. de rer. divisione § 30. ibi: « Ex diverso si quis in alieno solo ex sua materia domum ædificaverit, illius sit domus, cujus et solum est,

junctione, vel *commixtione*. Donnell. (Comment. jur. civ. lib. 4. cap. 52. (EDIT. BARBIEL.)

(1) Privata auctoritate succidere non licet; sed

sed hoc casu materiæ dominus proprietatem ejus amittit, quia voluntate ejus intelligitur alienata, utique, si non ignorabat se in alieno solo ædificare, et ideo, licet diruta sit domus, materiam tamen vindicare non potest; » et concordat cit. l. *Adeo*, de acquirend. rer. domin. (58. Ex æquitate tamen, etiamsi mala fide in alieno fundo ædificaverit, potest repetere pretium materiæ, et expensarum: ut ei conceditur; l. 38. ff. de petit. hæred. et recte docet Haunoldus de Just. et jure num. 142. Illung. tom. 4. dec. 2. n. 271. et alii; arg. l. 2. Cod. de rei vindicatione. (59. Et a fortiori si bona fide ignoravit solum esse alterius, ipsa bona fides, vel æquitas non patitur, ut fundi dominus cum alterius ædificantis detrimento locupletetur, quare pretium materiæ, et operarum solvere tenetur; c. l. 38. ff. de petit. hæred. et cit. l. *Adeo* ff. de acquire. rerum domin. et cit. l. 2. C. de rei vindic.

(60. Sic etiam jure *Accessionis* si quis alienam plantam in suo fundo posuerit, et ea radices egerit, fit statim sua, cum planta licet aliena accedat solo, quod est suum. E contrario, si quis suam plantam in alieno solo posuerit, statim ac ibi radices egerit fit illius, cujus est solum textu expresso in § *Si Tit.* 31. de rerum divisione, ibi: « Si Titius alienam plantam in solo suo posuerit, ipsius est, et e diverso si Titius suam plantam in Mævii solo posuerit, Mævii planta erit, si modo utroque casu radices egerit; ante enim quam radices egerit, ejus permanet, cujus fuerat, adeo ut si vicinus arborem in terram Titii posuerit, et in ejus fundum radices egerit, Titii effici arborem dicamus; ratio enim non permittit, ut alterius arbor esse intelligatur, quam cujus in fundum radices egerit, et ideo prope confinium arbor posita, si etiam in vicini fundum radices egerit, communis fit; » et concordat cit. l. *Adeo* § fin. ff. de acquirend. rer. domin. (61. Sic si arbor in confinio posita in duorum dominorum fundo radices egerit, æqualiter communis erit ambobus, mox citat § *Si Titius* 31. de rer. divis. et citat. l. *Adeo* § final. ff. de acquirend. rer. domin. adeoque fructus colligendi, debent æqualiter dividi. Sponte vero decedentes in fundo, erunt domini fundi; Layman. loco cit. num. 21. Sporer, loc. cit. num. 232, et alii passim. (62. Arbor vicina ut fiat tua, non est satis, quod radices aliquas, et etiam aliquos ramos projiciat in fundum tuum, sed requiritur ut origo, seu truncus in tuo fundo crescat; l. 6. § 2. ff. *Arborum furtim cæsarum*; unde non licet tibi succidere radices, et ramos se nimium porrigentes, sed datur tibi actio contra alterum, ut vel ipse tollat, vel damnum compenset, quod si monitus facere neglexerit, poteris tu succidere, et tibi tollere, l. 1 et 2, de arboribus cædendis; Layman, loc. c. num. 21. Sporer loco cit. num. 233 et alii. (1)

recurrendum est ad Judicem, qui sua id sententia secundum legem decernat, juxta ea, quæ supra notavimus, de Possessore agentes. (NOTA ROM. THEOL.)